Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1907
Quelle:
Copyright:

bentes libros metrice, quos prius alij ſcripſerunt proſayce, deſtruentes utique per hoc communem modum loquendi latinum ipſis ſcolaribus &c. Summam metricam *per ſpacium fere dimidij anni* Diſcipulis praelegi conſueviſſe, ſuam *in vno menſe de die in ea ſtudendo per vnam horam* intellecturos, et quae ſunt ejusmodi frivola.

IV. *fol.* 99. manu Sec. XIV. in membrana per 2. columnas *Incipiunt capitula exceptionum quarundam collectarum de opuſculis beati Bernhardi continencium quedam uerba melliflua de beata Virgine M.* Sunt VI. verum ſequuntur VII. alia in diverſos Textus N. T. ſacris Oratoribus, ut videtur, deſtinata.

Codicem utrinque veſtit Membrana *Pſalterii* hebraici fragmenta nitide ſcripta a *Pſ.* 16—34. exhibens, de qua vere dicas:

Doctior eſt Codice Theca ſuo.

DCCXCIX.

U. 45 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 205. f. partim per duas columnas minio diſtinctas, partim lineis longis exaratus hanc in anteriore Theca Notam praefert, *Hic continentur aliqui ſermones facti in depoſicione defunctorum. Item expoſicio epiſtole pauli ad epheſios ſecundum quod legit in ſcolis egregius vir Magiſter Petrus* (Reicher) *de Pirchenwart, cuius anima deo viuat. Item expoſicio epiſtole pauli ad philipenſes. Item poſtea dubia circa epiſtolas predictas ſecundum ordinem vſque ad finem.* Initium igitur faciunt *Sermones* XIV. funebres, partim adaptati Commemorationi OO. Fidelium Defunctorum, partim ſpecialibus Exequiis, puta nobilis et potentis Viri, Archiepiſcopi, Epiſopi, Abbatis, Senis, Juvenis, multum Paſſi &c. Hos inter notandus *fol.* 20. p. 2. *Sermo* X. qui incipit: *Propter ſapientiam et ſcientiam horum que dicuntur ducis vita longior erit.* Prov: 28. *Rumores flebiles et lugubres audiuimus qui nobis omnibus ingerunt amaritudinem et dolorem videlicet de ſubtractione kariſſimi viri ſ. domini karoli ducis Regni Iheruſalem et Sicilie regis Illuſtris — qui de morte ſua dampnum magnum eſt et maxima iactura non ſolum regi patri ſuo. et domui regie. et toti regno Sicilie. verum etiam Romane eccleſie cuius erat fideliſſimus propugnator.* Eſt is *Carolus* Dux *Calabriae* Patri ſuo *Roberto Andegav.* praemortuus 10. *Nov.* 1328. Unde Orator noſter: *Benedictus deus qui dedit dauid in domino Ruberto iheruſalem et Sicilie rege, per dauid conuenienter intellecto filium ſapientiſſimum ſcilicet dominum karolum kalabrie ducem.* Comparat deinceps hunc *Ezechiae* conterenti ſtatuas et ſerpentem aeneum, et invehitur in *credentes eſſe chriſti vicarium et imperatorem verum vbi non erant. Chriſti enim vicarius non erat tunc Rome ſed in Auinione, nec Imperator*